# *Augustinianorum Nullitatis Capituli Generalis.*

*Eme, ac Rme Dne.* Restricta difficultate ad patentes concessas P. Simoni pro Aragonia reuisitanda, de quibus in *Summ. Aduersarij num. 9.* dicebamus illas esse sublatas per Constitutionem Sanctissimi circa Protectores superuentam re integra ante vsum patentium.

Respondebatur Constitutionem in §. *Insuper* sub *vers. Et nihilominùs* præseruare authoritatem Protectorum in ijs, quæ concernunt Vniuersum Ordinem, prout concernere videtur ista visitatio.

Sed facilè replicamus ex ipsamet Constitutione, vbi declaratur, quod Protectores non in quibuscumque concernentibus vniuersum Ordinem se possunt ingerere, sed dumtaxàt in erroribus Fidei, & in deuiatione à Regula; Atque in hoc, non in omnibus casibus, sed tunc dumtaxàt, quando non aliqui Fratres, illique in quouis numero, sed totus Ordo, aut Capitulum Generale deuiasset à Fide, & Regula. *Text.* est expressus in *Constitutionibus Gregorij XI.*, & *Xisti IV.* relatis, & confirmatis in ista Innocentiana in §. *Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum &c. nisi in casu in quo ipsorum Fratrum Communitas, vel Generale Capitulum (quod absit) &c. deuiassent*, & in §. *Et per eas, nisi in casibus, & articulis in Regula &c. expressis &c. Neque in illis, dum non vniuersi, sed aliqui in quouis numero à Fidei vnitate, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia deuiarent, & non obseruantium Regulam correctione, aut reductione &c. se intromitteret inhibitum fuisse &c. declarauit.*

Et Sanctissimus Dominus Noster Constitutiones huiusmodi non solùm confirmauit, quod imò ampliauit, auferendo à Protectoribus etiam potestatem concessam ex Regulis, vt in §. *Hinc*, & in §. *Ad hæc*; Itaut sola remanserit potestas quando Religiosi aberrant à Fide non vti singuli, sed vti vniuersi.

Respondebatur etiam, quod licet superuenisset Constitutio; Nihilominus exequendæ erant patentes litteræ ex quo emanauerant ante moderationis publicationem.

Sed præterquam quod contrarium de Iure definitum est, quod scilicet re integra extincta remanet Iurisdictio delegati per extinctionem Iurisdictionis in Delegante, vt dicebamus ex *Butrio in cap. Relatum nu. 3. de Offic. Deleg.* Adhuc iste casus est casus decisus in Constitutione Gregorij XI. qui post suam inhibitionem non solum prohibet aliquid impetrare à Protectoribus; Sed vlterius vetat vsum impetratorum; Atque non solum si impetrata sint ab ipso volente, verum etiam si sint impetrata mediantibus alijs, vt est textus expressus in §. *Et nihilominus* ( per hæc verba ) *fratres, qui contra eiusmodi inhibitionem, quidquam impetrassent, seu post inhibitionem eiusmodi vsi fuissent, etiam per alios impetratis, punirentur*; Vnde clarum est, quod post emanatam Constitutionem moderatoriam, stante re integra, non licebat amplius vti dictis patentibus.

Neque suffragatur dicere, quod istæ patentes de quibus in *Sum. Adu. dicto num. 9.* expeditæ fuerint ab Eminentissimo Protectore ex speciali authoritate Sanctissimi, quia tum ex illorum lectura, tum ex comparatione patentium cum patentibus conuincitur contrarium.

In præfatis patentibus *dicto Summ. adu. num. 9.* nullibi dicitur quod deputatio fiebat *facto verbo cum Sanctissimo*, prout legitur in patentibus datis P. Ioanni *Summ. adu. num. 1.* neque dicitur *de speciali facultate à Sanctissimo D. N. Innocentio PP. XII.* prout legitur in datis P. Iosepho *Summ. etiam adu. num. 4.* Vnde oritur etiam argumentum discretiuum, quod dum in alijs patentibus expressit facultatem specialem & non expressit in istis, concludendum est, quod authoritas specialis Sanctissimi, interuenit in illis, & non in istis, dum si interuenisset in istis, prout expressit proculdubio expressisset, prout expressit in illis.

Minus etiam dici potest, quod Eminentissimus processit ad hanc nouam deputationem vigore facultatis concessæ à san. mem. Innocentio XI. quia multipliciter respondetur. Quia licet credi, vel saltem dubitari posset, quod facultas Innoc. XI. expirasset per obitum Innocentij, prout videtur credidisse, aut dubitasse idem Eminentissimus, dum, si facultas Innocen-

tij

tij vigere debuisset; profectò Eminentissimus non hausisset nouam facultatem ab Innocentio XII., prout fecit pro deputatione P.Ioseph, *Summ. aduerso num.4.* Nihilominùs, etiamsi facultas Innocentij perdurasset, adhuc remansisset consumpta facultas tam Innocenti XI., quàm Innocentij XII., dum tota Religio, iam fuerat visitata, adeoque expirauerat eius delegatio, per Textum expressum *in cap.9. de offic. & potest. Iud. Deleg.* per hæc verba -- *Iudex Delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandauit, vel mandari præcepit, eius authoritas, & iurisdictio cessat, quia, semel est officio suo functus.*

Nil refragante, quod prætendatur visitationem fuisse difformem ab instructionibus datis, quia præterquam quod non ostenditur in facto, quod visitatio fuerit difformis; adhuc est certum in iure, quod siue benè, siue malè visitatum fuerit, facultas concessa remansit consumpta, & potestas euacuata, per Tex. expressum *in l. 55. ff. de re iudicata*, per hæc verba -- *Iudex posteaquam semel dixit sententiam, Iudex esse desinit; Et hoc iure vtimur, vt Iudex qui semel, vel pluris, vel minoris condemnauit, amplius corrigere sententiam suam non possit; Semel enim malè, seù benè, functus est officio suo.*

His stantibus, absque vllo dubio dicendum est patentes Aduersarij, *Summ.num.9.* processisse absque authoritate Papæ, & ex authoritate Papæ, & ex sola authoritate ordinaria Protectoris, dum potestas concessa per Pontificem remanserat consumpta, ex præallegatis *cap. Iudex de off. & pot. Iud. Deleg. & l. Iudex, ff. de re iudicata.*

Imò ex eisdem iuribus, non potest hodie suppleri specificatio authoritatis Papalis, quia in præiudicium meorum Principalium non potest fieri validum ex post facto, quod aliàs non valebat; Et quando quis visitare non potest, nisi iure delegato, prout est in Episcopis respectu locorum Nullius, parendum non est, nisi declaret se visitare iure delegato, *Fagnan.in cap. quoniam de off. & pot. Iud. Deleg. num.35.* Vndè cùm in nouis patentibus exhibitis in Aragonia non legeretur specialis authoritas Pontificia, quæ requirebatur iure potuit resisti, argumento *cap. cùm in iure 31. de off. & pot. Iud. Deleg.*

Et fortiùs in casu, vbi re integra superuenerat Constitutio moderatoria, iuxtà quam Protectores nullam cuiuscumque deputationem facere possunt, resistente dicta Constitutione in

§. 4. *Aut quemcumque Prælatum, seù Officialem dicti Ordinis, seù alicuius loci eiusdem QVOCVMQVE nomine nuncupare-tur, ponere, seù instruere*; addito §. 11. prohibente vsum iam impetratorum; dum ibi compræhenditur vterque casus deputationum non solùm postea, sed etiam ante factarum per verba -- *Et nihilominùs fratres, qui contra eiusmodi inhibitionem quidquam impetrassent, seù post inhibitionem eiusmodi vsi fuissent, etiam per alios impetratis*.

Hæc sunt admodum clara, vt non sit necesse recurrere ad oraculum Legislatoris, quando adhuc tale oraculum suffragari posset pro futuris casibus, dum pro iam transactis Constitutiones, & patentes intelligendæ sunt, prout de iure. Et de iure patentes, non exprimentes adhibitam authoritatem Papæ non possunt intelligi emanasse authoritate Papæ; & quia præcedens potestas Papæ iam fuerat consumpta per visitationem siue bene, siue malè expletam; Istæ patentes sunt ad actum nouum, & emanatæ ex integro; Ac propterea ob superuentam Constitutionem moderatoriam re integra, fuerunt de iure, & ex dispositione eiusdem Constitutionis sublatæ. Ideoque non erant attendendæ.

Sed quatenùs res non esset adeò clara, prout pro clara habita fuit in Aragonia apud omnes Doctores; Nihilominus discurrendo adhuc in casu dubio, in tali etiam casu censuræ latæ à P. Simone non erant timendæ.

Vltra dubietatem huiusmodi, certæ erant vlteriùs duæ circumstantiæ facti: *Prima*, quod ex declaratione eiusdem Eminentissimi Protectoris visitatio expleri debebat intra annum 1693. ante Capitulum Prouinciale. *Et secunda*, quod P. Simon volebat visitare de Aprili 1694., & de tempore, quo erat impossibile visitare Conuentus existentes in tribus Regnis ante Capitulum, dum Capitulum iuxtà Constitutiones celebrandum erat inde ad paucos dies.

In his terminis incongruitatis, imò impossibilitatis Visitationis, & potestatis non verificatæ; Vtique præceptum factum à P. Simone de ipso recognoscendo in Prouicarium, & Visitatorem, siue in alterutrum, proculdubio erat appellabile *Scacc. de appell. quæst.* 17. *num.* 65. *&* 66. & à præcepto facto sub pæna excommunicationis, appellationem adeò suspendere, vt si Iudex excommunicat, excommunicatio sit nulla, & ea non obstante Clericus possit celebrare absque metù Irregula-

ritatis

ritatis firmat idem *Scaccia dicta quæst.* 17. *limitat.* 22. *nu.* 47. *&* 53. & Religiosi pergere possint in eorum muneribus, & suffragando, & similia peragendo *Donatus Rerum Regularium tomo primo tract.* 10. *quæst.* 41. *num.* 2. Vnde cum Religiosi Aragoniæ, tam ante, quàm post appellauerint, *Summ. nostro num.* 7. proculdubio censuræ non erant timendæ.

In nihilum obstante Decreto Nuntij, quia in facto, quicquid dicatur, propositiones facti Iustificandæ sunt ex Summario, & non ex verbis: Et pro illius exhibitione in Aragonia nihil datur in Summario; Imò ex *Summario partis num.* 13. vbi enumerantur Iura, quę exhibebantur, Decretum hoc non enumeratur.

Et præterquam quod illud adhuc remanebat sub Iudice in Nuntiatura, vt apparet ex subsequenti decreto 12. Maij *Summ. aduersarij num.* 11. Decretum de Manutenendo extortum contra aliquem, de Iure est appellabile ab ea parte, quæ non fuit citata prout citata non fuit Prouincia Aragoniæ, quæ ab omnibus appellauit ad S. Sedem *Summ. nostro num.* 7. Ipsum etiam mandatum Nuntij remansisset suspensum *Posth. de Manutenen. obser.* 106. *num.* 81.

Quamobrem, cum prætensa facultas visitandi in P. Simone in sui constitutione non haberet authoritatem Papæ, neque in genere, neque in specie, & per lapsum anni 1693. & clarius per superuentam Constitutionem moderatoriam remansisset omni, & quacumque vi prorsus euacuata. & in casu dubio appellatio suspensiua censuras subinde latas à P. Simone redderet nullas, & attentatas, absque illarum metù Religiosi validè celebrarunt Capitulum Prouinciale; Ideoque Principales mei in eo electi admittendi erant ad Capitulum Generale; Illisque, & P. Petro à S. Iacobo Definitore Generali cum ijs reclamante non admissis, Capitulum Generale est annullandum & tandem liberanda Religio à diuturniori vexatione.

Quare, &c.

Georgius de Firmanis.

SACRA
# CONGREGATIONE
Epiſcoporum, & Regularium.

*Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. Card.*

# DE CARPINEO
Præfecto

PONENTE.

Auguſtinianorum Diſcalceatorum Nullitatis Capituli Generalis.

*PRO*

Prouincia Aragoniæ, Ex Prouinciali Bethicæ, & alijs Religioſis:

*CONTRA*

P. Simonem à Sancto Auguſtino, & prætenſum Definitorium.

---

Replicatio ex gratia videnda.

*Pro die 10. Martij 1695.*

---

ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apoſt. 1695.
*Superiorum permiſſu.*